



I.

VITA

RODOLPHI COLLINI,

Professoris Linguae Graecae Tigurini,

ab ipso Collino descripta, &

haecenus nunquam

edita.

Epigramma

Ἀυτοβιογραφον

Rodolphi Collini : vitam ejus
complectens.

1. Gundelii natus. 2. Studiosus. 3. Restio.
4. Miles.
5. Mox Tiguri Civis : 6. deinde Professor
eram.
7. Nunc quoque in extremis , qualis mecum
que manet Sors :
Sors hæc in manibus stat, Deus alme, tuis.

A

Epi-

Epigrammatis explicatio.

I. GUNDELIi NATUS.

Gundelium (Gundenlingen) vicus est, in agro Lucernensi sub comitatu Rottenburgensi, in medio itineris, inter Lucernam & *Beronom. In ditionem Lucernensium venit, una cum arce Rotenburgo, quæ capta est à Lucernensibus, Anno 1385. festo die Innocentium puerorum. Cum ipse Comes Rottenburgensis, in parrochia sua, quæ extra arcem & oppidulum, in propinquo sita est, rebus divinis interesset, & arcem suam incendio flammam respiciens, fugam capere cogeretur ex ipso templo, rebus omnibus omissis & amissis.

Mox anno ante pugnam ad Sempach ** commissam, Gundelium ab Austriacis incendio funditus vastatum est. Ibi ejus incolæ ad Sylvam proximam, Lucernam versus, confugerunt, ibique cum jumentis & hominibus confederunt. Atque in colle, qui adhuc dicitur Zhuben (id est, zum Bül/) speculam habebant, unde prospectantes, hostium turmas advenire, signo cornu dato, ex agris, quos armati colere cogebantur, concurrebant, hostesque profligabant.

Ab eo ipso Colle mei majores nomen adepti sunt, ut dicantur Zum Bül/ vel Am Bül/ vel Bülmanni. Nam his nominibus hodie indifferenter nomi-

* Münster im Argen/ Lat. Berona, à Berone Comite Lenzburgensi Ecclesiæ Collegiatae, quæ ibidem est, fundatore & conditore, aliàs etiam Germanicè dicitur Beron-Münster.

** A. 1386. d. 9. Julii.

nominantur. Ego in adolescentia me *Clivanum* à *Clivo*, deinde *Collinum* à *Colle* denominavi.

Natus sum parentibus Rusticanis, honestis & fatis locupletibus, solis enim paternis sumptibus liberaliter sustentatus sum. Pater dictus est vulgo *der Ulthanß von Gundenlingen*. Mater dicta est *Elßbeth Kellerin von Seesatt*. Est autem *Seesatt* villa præclara ad lacum *Sempachium*, quam mei à fratre nepotes adhuc possident.

Sacro Baptismate initiatus sum in vico *Nütz* dorff / prope *Beronam*. Nam Pastor in *Römerschwil* / quo *Gundelinen*ses ad sacra & busta pertinent, peregre aberat. Ab ipso certe matris utero statim peregrinari mihi in fatis erat. Susceptor è sacro Baptismate fuit *Rudolff Rauffmann* / civis in *Sempach*, artis veterinariæ insignis medicus.

Susceptrix fuit mater familiâs in *Oberbuchen* / quæ villa in confinio paterni ruris sita est. Ea bona matrona, sacri Baptismatis tesseram, meis parentibus quotannis mittere solebat, etiam me peregre agente & literis operam dante. Id munusculi apud *Gundelien*ses vocatur *die Oßteren* / apud *Tigurinos* *der Zimpeltag*.

Natalem diem certò mater mea narrare non potuit, sed me in lucem editum dixit in septimana *Pascali* (in *der Oßterwuchen*) Anno 1499. quo tempore *Suevicum* bellum flagrabat, & pater meus in armis erat juxta *Rhenum* in vico *Kobeltz*, (i. e. *Confluentiæ*) ubi *Helvetii* præsidium contra *Suevos trans-Rhenanos* habebant.

II. STUDIOsus.

Primum anno ætatis octavo, à Patre Beronam deductus, ubi Præceptore D. M. *Andrea Erni*, insigni Musico, & hospite D. *Jacobo à Zell* octogenario & religioso sacerdote usus fui, per biennium cum magna præceptoris & hospitis spe, & mei erga meos commendatione.

Secundo *Luceriam* traductus, in familiam D. *Johannis Buchholzer*, Præpositi Lucernensis, (qui mihi magnus avunculus fuerat) susceptus sum, apud quem commoratus ad quinquennium, & variis usus præceptoribus, viris quidem bonis, sed nil nisi cantare peritis, magnamque studiorum jacturam fecissem, imò ad frugem bonam nunquam evasissem, nisi D. M. *Joannes * Xiloteetus*, Lucernensis & Beronensis Canonicus, patritio genere ortus, (qui postea Anno 1526. die 8. Augusti, Basileæ Pelte obiit, patria ejectus propter religionem, qui patriæ & religionis unicum decus fuerat,) mihi privatim *Vergilium* prælegisset. Is pro sua summa humanitate, *primam Vergilii Eclogam* mihi interpretatus est, quam etiam cum avide percepissem, statim meo Marte *Eclogam* scripsi: qua de re vir optimus delectatus, reliquas *Eclogas* & quatuor *Georgicorum*, item tres *Aeneidos* libros mihi prælegit: & cum ad ultimum tertii Libri versum pervenisset, qui ita habet: *Conticuit tandem, factoque hic sine quievit*: eum versum sibi applicavit, quasi & ipse jam conticescere, & factò sine quiescere vellet. Proinde me admonuit, ut propria *Minerva* Poëtas legerem, quod studiose sceliciterque feci, adeò ut sex integros libros *Aeneidos*,

* *Zimmermann.*

neidos, item *Georgica*, & *Eclogas* omnes ad unguem edidicerim, & recitare promptissime possem. Totus itaque D. *Xyloteſto* duce, *Vergilianus* factus, cæteros Poëtas, qui alterius essent notæ, facile intelligebam, aut fastidiëbam.

Tertio, *Basileam* deductus ab ipso D. *Xyloteſto*, in *Scolam* & contubernium D. *Heinrici Glariani*, præceptoris omnium fidelissimi, receptus sum, apud quem semestri spatio versatus, Mathematices principia percepi, magnum studiorum profectum facturus, si diutius ejus doctrina & disciplina frui licuisset. Sed D. *Glareano* *Lutetiam* profecto, mihi locus quoque studiorum mutandus erat.

Quarto, *Viennam* me contuli Poëtices studio adductus, quo cum venissem ab adolescentibus Helveticis humanissime exceptus, præsertim à *Conrado Grebelio*, * in contubernium receptus sum. D. D. *Joachimo Wadiano* patrono, & præceptore usus sum. Spe tamen mea frustratus meram inveni barbariem. Lectiones Poëticas (quarum gratia me illic contuleram) plane pueriles mihi videbantur, qui *Vergilio* jam olim *Lucerne* sub D. *Xyloteſto* assuetus fueram. Multa tamen opera magnifica illic, & præsertim *Cæsaris Maximiliani* funus amplissimum vidi. Nec lectiones tantum, sed mores etiam hominum, tam prophanorum, quam studiosorum mihi displicuere, qui illaudabili ebrietate corrupti erant plerique omnes. Ego certe, qui *Berona* & *Lu-*

* *Grebelius Conradus*, juvenis in utraque lingua eruditissimus, patria *Tigurinus*, præfationem scripsit in *Pomponium Melam*, *Parisiis* excusum cum *Vadiani* *Commentariis*, item *Epigrammata* quædam nondum edita. *Hotting.* in *Biblioth.* *Tigur.* p. 115.

cerne Musices artem & usum mediocriter perceperam, propter Cantorum immanem ebrietatem, Musicæ & cantionibus ita renunciavi, ut postea ad id laudabile studium nunquam me contulerim. Itaque D. D. *Vadiano* in patriam digresso, ego quoque ulterius illic hærerere nolui, non deficiente crumena, sed biennio exacto in Patriam reversus sum.

Italiam, Italiam primus conclamat Achates.

Quinto Anno 1519. cum Pestis per Galliam & totam Germaniam grassaretur, & ego me Tiguri per æstatem continerem, inter Joannem Jacobum Ammianum, * qui ex Gallia venerat, & me, conventum fuerat, Italiam visere & Bononiam petere, ea itaque conditione digressi, ego me in Patriam Gundelium recepi, Ammiano Tiguri remanente. Interim Ammianus iter in Italiam ingressus est, tali occasione oblata. Magnificus Senatus Tigurinus ædiles suos tam senatorios, quam plebejos, Mediolanum mittebat, ut de turribus in arce Mediolanensi constitutis specimen caperent, quo ad earundem turrium formam, Tiguri turrim ædificarent, quod postea factum est, turri ista nova & rotunda am Rennwäg ædificata. Cum his Tigurinorum Legatis Ammianus Mediolanum venit, atque eam urbem, quam tum Franciscus Gallorum Rex obtinebat, viris doctissimis exornatam invenit. Bononiam autem nulla eruditione, nisi Jure Canonico florere percepit. Ergo Mediolani resedit, & me quoque illuc evocavit. Kalendis
igitur

* Fuit hic postea Collini nostri Collega, Vir Doctus item, & primus à Reformatione in Schola Tigurina Professor Latinus, item Rhetoro-logicus, perpetuusque ab Anno 1534. ad A. 1573. quo ad plures abiit, Scholæ Rector, Scripsit ei Collinus Epicedium.

igitur Januariis Anno 1520. *Mediolanum* veni & exoptatissima quæque inveni.

Ab *Ammiano* fraterne exceptus & ad communia studia, vitæque conditionem contubernalis receptus, * Præceptorem domesticum habuimus *D. Antonium Thylesium*, virum sanctissimum, Græcæ Latinaeque Linguae peritissimum, & Historiarum publicum professorem, qui vir optimus, cum ipsum, quot noctibus cubitum iturus, salutarem, iis me votibus resalutabat: *VALE BENE FILI, ET ORA, ORA.*

Item præceptorem habuimus *Stephanum Nigrum*, publicum Græcarum literarum professorem, cujus translationes etiam nunc à doctissimis viris valde probantur. Item *Ludovicum Cœlium*,** utriusque Linguae professorem etiam hodie, propter suas *Antiquarum Lectionum* lucubrationes celeberrimum. Horum lectionibus & consuetudine frui licebat quotidie: nec nos nostro officio, quantum ad vitæ honestatem & studiorum assiduitatem, defuimus. Ita fiebat, ut mirifice apud Helvetiorum Primores, qui *Mediolanum* ventitabant, commendaremur, cum à nostris præceptoribus, tum ab aliis civibus nobilissimis, quorum è numero fuit *Joannes Jacobus*

A 4

Tri

* Scripsit hac de re *Collinus* noster ad *Zuinglium* in sequentem modum: *Vivo Mediolani apud Amanum doctissimum & integerrimum juvenem: Imò, si verum fatear, Mediolanum quidem sum, sed apud Zuinglium meum vivo. Nam dici non potest, quam ut utriusque in ore sis, de utroque enim optime meritis, citante p. m. Hottingero Hist. Eccl. T. VI. p. 356. Ex quibus verbis clarum etiam hoc est, quam tenero affectu Collinus etiam juvenis adhuc magnum Reformatorem & amaverit, & deveneratus fuerit.*

** *Rhodiginum.*

Trivultius & Rhenatus Biragus, nostri apud D. *Thyllum* condiscipuli.

Ejus rei referam exemplum Germanice, quo melius intelligatur. Herz **Wernher von Neggen / Ritter** und hernach **Schultheß zu Lucern** / hat einmal zu **Weyland** mich heimsucht / und von mir grosses Lob gehört / dann ich wård was / zc. welches er hernach zu **Lucern** vßgsprettet / dermassen / daß fill **Rhadtsherzen** meinen **Vatter** gern bekent hetend / zc. Deshalb hat einmal der **N. Pfiffer** / (ein **Radtsherz**) welcher meinen **Vatter** wol bekent / ihn (meinen **Vatter**) vff der **Rüßbrugg** fründtlich angeredt / und vffenthalten / und zu den **Herzen** / so herumb warend / gesprochen : **Lieben Herzen** / das ist der **Bur** / der so ein **gelernten Sun** zu **Weyland** hat. Welches min **Vatter** gr^r wol gefrouwt / und es miner **Muter** daheimb mit grⁱⁱ **Frouden** gseit hat.

Cum in medio cursu studiorum essemus *belum Mediolanense* natum est, quo *Mediolanum* iterum in manus Imperatoris venit. Quando tam bonarum literarum studia, quam cætera ejus urbis ornamenta perierunt : juxta proverbium, quo ipsi *Mediolanenses* vulgo utuntur, dicentes : *Mediolanum sub Rege Gallorum esse civitatem, sub Imperatore esse pagum*. In patriam igitur redire coacti sumus sesquianno exacto. Ego in reditu *Amianum* trans montem *S. Gotthardi* traxi & portavi.

Sexto. Rursus ex *Italia* in Patriam redux, ne otiosus *Lucerne* per pontes & plateas deambularem, aut in agro paterno inter agricolas opus facientes iners desiderem, confarcinatis libellis optimis, & portatu facillimis *Basileam* proficisci institui, conditionem aliquam

aliquam literariam quæsiturus : atque in eo itinere, comitantibus quibusdam sacrificulis, bonis sociis, ad Monasterium *S. Urbani* divertit. Ubi *Melchior Macrinus* *, (meus olim Basileæ apud D. *Glareanum* contubernalis) Ludimagister fuerat, tunc in patriam *Salodurum*, Scriba Curiaë vocatus. In ejus ego locum suffectus, & commodissimam studiorum occasionem nactus, Ludimagister ibidem constitutus sum, plus biennio ibi commoratus.

Cumque meo officio bona fide & verecunde fungerer, Domino Abbati *Erhardo Castlero à Reiserstul* nobili genere nato, reliquisque monachis charus acceptusque fui. Non enim solis literis incumbens, sed etiam interdum venationis, & peregrinationis particeps, me illorum voluntati, salva honestate, officiique mei functione, accommodare solebam. Unde fiebat, ut me diligenter, plurimique facerent, nec *Beronam* migrare paterentur : quamvis dum apud eos commorarer *Canonicatum Beronæ* affectus essem, cujus jam olim *Expectans* (ut dicitur) factus fueram, quod ex literis his liquet.

Copy von der Wart zu Münster.

Wir Schultheß und Rhadt der Statt
Lucern thund kund allermentlichem und bekennend
offentlich mit disem Brieff/ daß auf Siner Dater/ als
A 5 wir

* Fuit hic vir insignis, qui Evangelii amore totus ardebat, & eo nomine frequentes ad *Zuinglium* literas exarabat. Extat præclara ad hunc Heroem *Macrini* Epistola in *Hotting. Lucris Hist. Eccl. T. VI. p. 385.* in qua *Collinum* vocat juvenem nunquam satis laudatum, cujus auxilio, ut prius in *Latinis Græcque*, ita nunc in *Evangelicis* utatur.

wir in Rhadtswyl by einandern versampt / for uns
erschinnen ist / der Erwidig / Wolglert Herz **Jo-**
hann Buchholzer / Propst des Wirdigen Stiffts
Sancti Leodigarii ze **Lucern vff dem Hoff** /
vnsrer günstiger lieber Herz / und batt uns ernstlich /
daß wir sinein anerborenen Vetter / **Rudolff zum**
Bül / gneditlich geruchen / und verlichen ein **Wart**
vff ein **Corherrenpfund** ze **Wünster im Les-**
göw / als wir dann des wol Macht hettend. Also
habend wir angesehen sin flüssig Bitt / auch guten und
getruwen dienste / so sin Erwirde uns erzeigt und be-
wysen hat und noch thun mag / und daruff demselben
Rudolffen zum Bül ein **Wart** gelichen und
gneditlich zugesait haben / lobhend und versprechend
Im die in krafft diß Brieffs / also wann fürhin ein
Corherz zu Wünster abstirbt / und ein **Pfund** ledig
wirt / daß denn der gemelt **Rudolff zum Bül** /
als ein ander **Warter** nach **Sitt** und **Gewohnheit** /
derselben **Stift** angan. Doch daß er sich fromklich und
erbarlich halten / und zu priesterlicher **Wirde** schicken /
auch daß die **Zyt** erhöuscht **Priester** werde. Und wo
er sölichs nit thäte / über kurz oder lang / daß dann
sölchs unser **Lähen** und **Gnad** krafftloß / hin und ab sin
soll : auch vorbehalten / daß alle die so for dem ge-
melten **Rudolffen zum Bül** mit **Warten** be-
gabet sind / innhalt ihrer **Brieffen** forgan söllend / bis
daß es nach **Vschwung** unsers **Lähenbuchs** / darin die
Warten gschriben stand / an inn **Kompt** / und des zu
Vrkund habend wir disen **Brieff** mit unser **Statt**
Secretinsigel besiglet und gaben auf **Frntag** an **St.**
Okwalds tag / als man zalt nach der **Geburt Christi**
zünff hundert und im **Vierzehenden Jar**.

Et tempore ordo *Expectantium* ad me pervenerat, & *Canonicatus* mihi cesserat, ut ex his patet literis.

Copij von der verfallnen Corherren Pfrund.

Den eewirdigen geistlichen und wolgelernten Herren Propst und Capitel/der wirdigen Stifft zu **Münster im Ergow** / minen insonders gunstigen lieben Herren Embüt **Joh Jacob von Herstein** / diser Zyt Schultheß zu Lucern / min früntlich Dienst und alles das ich liebs und guts vermag zavor. Nach dem dann der wirdig und geistlich Herz **Niclaus von Wincel** / Byland Corherz zu **Münster im Ergow** mit Tod abgangen/und dieselbig Pfrund dardurch ledig worden ist/ welcher Pfrund min gnädig Herren und Rhädte der Statt Lucern rächte nominatores und Lähnenherren sind/ habend dieselben min gnädig Herren / dem Ersamen **Rudolffen zum Büel** voran umb Gottes / auch sin und siner Fründen sßizig Bitt und Dienst willen/ sunderlich angesehen die vereert Wart/so er in gschriffte inn verschinnen Jaaren/vor minen gnedigen Herren gegäben / mit obgemelter Corherrenpfrund begabet/ wie dann sie forhar anderen auch gethan haben/das ich ouch in genanter miner gnedigen Herren namen sölicher gstalt verkünden / und so aber die Form und Billikeit vff im hat / söllich als geistlich von unerwird/oder den jenen si sölichß besilcht zuvollstrecken und Investieren zeverenden / so präsentieren und übersenden ich den forgenanten **Rudolffen zum Büel** / Inn wie recht ist/mit Bit und Begär/ Ir wölkund

lind inn vff forgemelte Pfrund / an des gedachten
 Statt investieren und bestetigen / und alles das zu
 thun so wnter darzu ghört und notürfftig ist : Als
 ich in Namen miner gnedigen Herren obgemelt / des
 grußlich zu ouch versich und getruw. Zu urkund so
 hab ich min eigen Insigel ghenkt an disen Brieff/der
 geben ist vff Frytag Sant Ambrosius tag / nach
 Christi Geburt vnsers Behalters Zwenzig und Zwey
 Jahr.

Circa id tempus *Berone* inauguratus sum ma-
 gna solennitate Ceremoniis pro more adhibitis.
 Ubi diploma mihi traditum est, à D. Præposito, M.
Ulricho Marti, quo Canonicatus mihi sancte & re-
 ligiose confirmabatur. Quamvis jam Canonicus es-
 sem, & *Berone* laute beateque vivere potuissem,
 apud *S. Urbanum* tamen remanebam, & *Residentiam*
 (ut vocant) de die in diem differebam, D. Abbate
 patrocinate & scholæ suæ necessitatem pratexen-
 te.

Tandem cum Pater meus decessisset, & D. Ab-
 bas graviter ægrotans medicos sectaretur, Vitoduri
 apud Judæum hærens: Ibi tum turbæ de *Luteranis-
 mo*, per monachum **Schultheiß** *Hugen* fratrem
 concitatae fuerunt, quæ senatores *Lucerna* elicue-
 runt. Hi ut primum venissent, cognitionem de *Lu-
 teranismo* habentes, omnes omnium libros inspi-
 ciunt, & cum meos inspexissent Græcis Characteri-
 bus exsculptos, *Hans* *Glestig* Senator exclamavit:
Isti libri sunt Luterani; at me negante dixit: *Was*
frigis freigis ist das / das ist Lutherisch. Libros ita-
 que meos Græcos conuasantes *Lucernam* abduci jus-
 serunt, ut illic coram senatu causam agerem, libros-
 que meos reposcerem. Missi fuerunt ad *S. Urbanum*,

ex utroque senatu viri circiter viginti, quorum Coryphei erant *Hans Hug Schultheiß / Rudolff Hü-
nenberg / Hans Blesig* / Senatores omnium Lucernensium ea tempestate habiti disertissimi. *Lucernam* cum venissem senatus extraordinarie coactus est in Cœnobio Franciscanorum, mei gratia. Ibi per *Wernerum Buchholzer* Canonicum & Custodem Collegii *Lucernensis*, cognatum meum, causam egi: Senatores placidissime mecum egerunt, per alterum Consullem, (ut puto *Golderum*) librosque omnes recipere iusserunt, rogantes & exhortantes multis, ne quid novi adversus antiquam, veram & indubitatum religionem moliri velim, sed majores meos imitatus, *bonus Christianus & Lucernanus* esse pergerem. Ibi tum *Schultheiß Hug* clare & proterve dixit: **Ob er wölle / gange er gen Zürich / luge / ob im der Zwingli ein Corherzenpfund gebe.** Ea vox mihi peracerba tum videbatur, quam postea auspiciatam divinationem fuisse reipia expertus sum.

III. RESTIO.

Causas commemorare, quæ me ad restim adegerint, supersedeo, sed actionem ipsam, ut olim consignavi, hic adscribam simpliciter.

Anno 1524. die 14. Februarii reliqui patriam, & sub vesperam *Tigurum* veniens, in ædes D. * *Myconii*

* *Osvaldi*, (*Geißheußlers*) qui *Lucernensis* etiam, & *Ludi* apud *Tigurinos* Reformati primus Moderator, postea *Basileensis* Ecclesie Pastor & tandem Antistes factus; Vir pius & doctus, & qui præter alia scripta *Zuinglii* Biographia, quam publice edidit, inclaruit. Obiit peste *Basileæ* 1552.

nii divertebam, ubi res jucunda mihi accidit. Erant *Festa Bacchanalia*, (es was an der Aften Faschnacht) & mensa lautissimis epulis (ut fit) ac plenis poculis instructa in vaporario stabat, penes nullus hominum vel sedebat vel astabat, fores ædium apertæ fuerunt. In causa fuit, quod convivæ omnes ad mœnia avolarant, ut prospicerent *ignes & faces Bacchanales* vel *Martiales*, die *Faschnacht* oder *Merzensfeur*: Nam D. *Myconius* tunc in domo quadam, juxta officinam bombardarum habitabat. Ego ingressus vaporarium solitudinem admirabar, ad mensam assedi, sedem D. *Myconii* occupavi, donec homines advenirent, expectavi: ignibus evanescentibus revolantur omnes, me invenerunt mensæ assidentem, pocula ipsis quasi advenis porrigentem. Obstupuere omnes. Ibi ego exclamavi: *Domine Myconi, in rem lautam veni bonis avibus*. D. *Myconius* summa hilaritate affectus, me humanissime excepit. D. *Myconii* hospitio, simulque *Aremundi Galli* Equitis sodalitio, aliquantis per usus, ad cognatos meos, D. *Wernherum Buchholzer* ejusque sororem *Lucernam*, diploma illud, quod mihi à D. Præposito *Beronensi* traditum fuerat, confirmandi *Canonicatus* gratia, remisi, ipsumque *Canonicatum* resignavi ultrò & liberè, omnibus meis amicis & familiaribus, qui tum *Tiguri* erant, dissuadentibus.

Cognatos per literas rogavi, ut Senatui *Lucernensi* gratias agerent, quoniam *Viennam*, non *Constantiam* petiturus essem. Ab ipsis enim ea spe & conditione discesseram, quasi per integrum jejunii tempus *Constantie* permanens forem, ut sacris Ordinibus ordinatim initiarer.

Post aliquot dies D. *Heinrichus Buchterus Kilchpergam* me vocavit, ut operam Græcis literis unanavaremus. Ubi ferme deprehensus fueram à D. *Wernhero Buchholzer* cognato meo, qui me *Constantie & Tiguri* quaesierat, & in reditu à via equestri aberrans *Kilchpergam* delatus fuerat.

Circa Kalendas Majas, aquis medicatis in *Bradorff* usus sum. Ubi curata cute, membrisque refocillatis, *Tigurum* reversus, die 23. Maij, artificium *restionarium* tractare, in nomine Domini *Jhesu Christi* aggressus sum, apud *Heinricum Ostertag* / restionem honestum & ordinis senatorii virum. Cui pro mercede artis sponendi, & in promptu persolvi 18. aureos. Atque brevi tantum profectum in disciplina *restionaria* perfeci, fretus fideli institutione mei *Magistri*, ut nemini *Restionum* solertia & alacritate facile cessissem.

ὡ παλάμαι βρωτῶν.

IV. MILES.

Eodem Anno nempe 1524. die 3. Octob. cum manipulo civium *Tigurinorum* ad *Walshut* in subsidium ejus oppidi profectus sum, functus officio militis & scribæ, bis enim ad senatum *Tigurinum* scripsi. Primum ex pago *Dielstorff*. Ubi viator publicus prandentes nos offendit, & jussu senatus interrogat, quonam locorum profecturi simus, quidve gesturi? Milites exterriti & dubii, quidnam responsi darent, varias dicebant sententias. Quas viator respuebat & dicebat, habetis hic scribam, (me digito ostendens) huic demandate, ut vestram scribat sententiam, quoniam ex scripto, non

ex ore responsum senatui referre volo. Milites ergo orantes & supplicantes scriptionem à me impetrant. Ego itaque nonnulla ex militum sententia, nonnulla de meo cum scripsissem, in scamnum infiliens, militariter factò silentio, quas scripseram literas, publice legi, quibus lectis omnes ita inflammati sunt, ut mortem potius obire, quam *Tigurum* redire vellent. His literis in senatu Tiguri lectis, senatores tantopere commoti sunt, ut nonnulli ne lachrymis quidem cohibitis censerent, tumultuarium militem conscribendum, qui nos observaret, & si necesse esset, jacta alea, auxilio adjuvaret. Nonnullis autem visum est, Legatos è senatu ad nos mittendos, qui rem compertam ad senatum integram referrent. Ea sententia prævaluit. Missi sunt è Tribunis, *M. Hans Wägman / ein Gertwer / M. Thoman Meyer / ein Schumacher*. Ibi tum ego secundo scripsi ad senatum Tigurinum, ex concione publica, quæ in Curia Walzhutensi à nobis habita fuerat. Multa nocte ad oppidum venimus, hospitio usi *Junghansen Schallers* / qui nos Tiguro eduxerat. Octavo die, cum nihil operæ pretium ageretur, & ingens concursus militum fieret, ego quibuscum illuc profectus fueram, senatu Walzhutensi, hospiteque nostro salutatis, *Tigurum* reversus sum, nec à duce *Clausen Keller von Büsach* / nec à signifero *Hansen Habersaat Tigurino* persuaderi mihi patiebar, ut in armis remanerem. Ergo res mihi ad restim rediit. In multorum tamen civium notitiam & amicitiam propter binas illas scriptiones perveni. Et Meccenates mei, quibus insciis militiam subieram, & quorum offensam metuebam, majori quam antea studio me amplectebantur.

Anno

Anno 1525. Kalendis Januariis institui profec-
tionem ad Ducem *Ulrichum Wirtenbergensem*, quem
Mompelgardia quæsiturus eram, sed in *Walzbut* in-
veni ejus Legatum D. *Joannem Suchssteiner* / ea-
dem illa tractantem, quæ ego ad Ducem relaturus
eram.

Saloduri Ducem conveni, collocutusque sum
ex consiliis mihi commissis, de Ducatu recuperan-
do. In ea profec-tione, D. *Joannem Frumentarium*
Ducis Cancellarium, amicum mihi comparavi in-
timum, ac deinceps semper conjunctissimum.

Non ita multo post *Scaphusiam* profectus sum,
consilia de Bello incipiendo, de Ducibus eligendis,
de Concionatore Publico habendo ad Ducem defe-
rens.

Februarii die 13. arma sumpsi, nomen Duci
dedi, in aulam receptus sum, *Scaphusia* commora-
tus. *Tigurum* eques ducentos aureos advexi, quos
Dux commodato acceperat à *Laurentio Zur Eich*
Laniatore; item 8. aureos dedi *Joanni Hager* Ty-
pographo, pro literis ad Civitates Imperiales im-
pressis. Caterum de re bellica, inter cives susci-
pienda, nihil tractare volui, quia *Tiguri* lege cau-
tum erat ea de re. Priusquam nomen Duci darem,
manu missus eram à Magistro meo *Restione*, id
cavens, ut liber à servitio omnique ministerio,
quorsum libuisset, abire possem, nulli servituti ob-
noxius: utque in posterum ea militia mihi fraudi
non esset, si quando jus civitatis empturus forem.

Antequam abirem in bellum, cum aulicis in
arcem *Hochentwiel* ascendi, diesque aliquot ini-
bi moratus, tandem armatus ad Helvetiorum mi-
lites in pagum *Hülkingen* descendi. Primum apud

eos, qui curam bombardarum habebant : deinde apud satellites, custodes corporis Ducis, postea apud equites & nobiles aulicos, contubernium habui.

Primo oppidum *Balingen* deditione facta receptum est, ubi contubernium fortitus sum apud anum quandam, cujus opes domesticæ militari more dilapidabantur. Illa modestiam meam considerans ad lectum, in quo graviter morbo & senio confecta decumbebat, advocabat, & perhumaniter salutabat ad hunc modum : *Biß mir willkomm min werder Gast.* Deinde addebat mandata quædam pia & religiosa, memori quæ mente tenebo.

Non procul à **Balingen** pars militum, cohors quæ constabat ex rusticis ab *Hercinia Sylva* collectis, & sensim ab *Helveticis* castra habebat, ab hostium equitibus cæsa est.

Apud *Balingen* pars militum turpiter & foede ducem deseruit, major tamen pars in militia perseverans, cum Duce ad *Herrenberg* perrexit. Non procul inde hostium peditatus & equitatus apparuit, & acies utrinque instructæ ad pugnam procedebant. Equitatus à tergo nos circumvenerat, sed peditibus subterfugientibus pugnam, etiam equites retrocesserunt. Itaque pugnatum non est. Illic in præludio pugnæ, equus viri nobilis N. à *Sperwerseck* / globo ictus, ante Ducem & me corruit.

Ad metropolim *Stutgardiam* totis viribus Dux contendit, & suburbio potitus est. Ibi ego scissarium mea manu cepi, armisque spoliavi, bombardam scilicet & gladio : qui tamen nocte proxima per satellitum ebrietatem & incuriam evasit. Bombar-

dam

dam ego pro opimis spoliis *Tigurum* deportavi, diuque ea usus sum.

Cum jamjam *Stutgardia* expugnatio in manibus foret, & populus *Wirtembergensis* undique ad Ducem confluere, ac ultro deditioem faceret, ibi tum (turpe quidem dictu) defectio (imo proditio, ut Dux ipse palam vocabat,) patrata est. Cujus author fuit *Onophrius Sekstab*. Quem ego pro concione publica, quæ tympano & præcone convocata erat, audivi meis auribus defectionem & fugam suadentem, duabus de causis, quarum una erat: Inopia stipendii: Altera Helvetiorum revocatio: Ajebat enim, imò proclamabat, se simul omnes deceptos esse vana pollicitatione, & iniqua frustratione stipendii: Item, se simul omnes revocari donum, à communi conventu Helvetiorum, quibus nisi obtemperassent, fore ut ipsi foris exilii damnarentur, & ut domi communis patria ab *Austriacis*, hæreditariis hostibus, cruento bello infestaretur: proinde sibi ipsis & patriæ consulendum esse. His addebat alia acerbißima dicta, quibus milites ad defectionem adduxit.

Militibus ad defectionem adductis, & fugam tumultuose adornantibus, Dux quoque idem facere coactus est. Et nocte adhuc alta fugam inivit, me pedestri cursu equi cursum adæquante hoc modo: *Als hefftig der Herzog ritt / als hefftig luff ich: Diser gestalt: Ich hat min Hand auf des Herzogen Stågreiff*. Duce ita jubente, ex quo facile cursum equi consequerbar, ad bonam diei partem.

Post fugam à *Stutgardia* cum Duce *Rotvilam* veni, ubi post prandium in Ducis conclave ingressus, ab eo familiariter appellabar: *Mein Rudolff/ wie*

wie stehts? Ego temere respondebam: Wol Gnda diger Herz. Ipse subdidit: Es steht taussig Zeuffel. Nam ad fugam se denuo præparabat, in sylvam quandam abiturus, donec milites diffluxissent, qui stipendium per vim habere volebant.

A Rotvvila Ducem Scaphusiam usque comitatus, eo iubente & negotii quiddam injungente Tigurum petii, inde in Rbetiam digressus ad D. Jodocum Kilchmeyer,* cognatum meum, Tigurumque regressus, offendi literas, quibus ad arcem Hohentwiel vocabar. Ubi per aliquot menses in Præsidio arcis moram trahens, aulicæ & militaris vitæ pertæsus, militiæ detrectandæ occasionem nactus sum à bello Rusticorum, qui passim per Germaniam fataliter ea tempestate conspirabant, ad quos Dux profecturus cumque illis fœdus percussurus erat. Ego igitur bona impetrata venia Tigurum repetii, & restibus, instrumentisque restionariis bellum indixi, quod strenue gnauiterque gessi.

Dulce bellum inexpertis.

Quoniam autem Legationes peregrinationesque multum laboris & periculi habent, ad titulum *Militiæ* referri possunt. Insigniores itaque quas jussu senatus obivi, assignabo, cum notatione saltem temporis, omiſſis actionibus, quæ proprium librum requirunt.

Anno 1528. die 2. Januarii petii Bernam, electus affecla & minister D. Zuinglii, per totam *disputationem Bernensem*; redii Kalendis Februarii.

Anno

* Etiam hic fuit *Lucernas*, qui ob veritatem Evangelii patria excedere coactus est. Habet de illo quoque nonnulla Polyhistor *Hottingerus* b. m. Hist. Eccl. T. VI. p. 351.

Anno 1529. 2. Februarii missus sum ad *Seldsfilch* / exploratum *Quinque Pagorum & Ferdinandi* consilia, quæ illic tunc agitabantur inter eos, ad Christianæ civitatis perniciem.

Anno 1529. 3. Septemb. profectus sum ad *disputationem Marpurgensem*, cum D. *Zuinglio*. Redii 19. Octob.

Anno 1529. die 11. Decemb. missus sum Legatus ad Ducem & Senatum *Venetiarum*: in qua profectio à duobus latronibus, in *Campo Brixiano* (auf der *Dressler Heid*) circumventus, alterum à fronte stricto gladio profligavi, alterum à tergo concitato equo evitavi; redii 19. die Januarii Anno 1530.

Anno 1531. die 29. Augusti Legatus missus sum ad Regem Gallorum *Franciscum*, negotium & causam *Ducis Wirtembergensis* acturus apud Regem. Res prospere confecta est in Gallia undecimo die Octob. Sed domi eodem die, pugna funestissima *Capelle* commissa est, quando vires atque viros abstulit una dies. Redii 27. die Octob.

V. MOX TIGURI CIVIS.

Anno 1526. die 6. Januarii, *Gundelium* adii, eorum primum tempore post meum discessum, Anno 1524. die 4. Feb. factum. Matrem meam charissimam cum salutassem, ab ea multis lachrymis multisque amplexibus exceptus fui. Deinde cum ab ea digrederer 40. aureos, item paulo post, primo die Aprilis 60. aureos accepi, quæ summa facit centum aureos: quibus ad jus civitatis emendum cæterasque res utensiles comparandas sum usus.

Primum Anno 1526. Jus *Civitatis Tigurinae* emi, decem aureis 14. Januarii; mox in sequenti die, nempe 15. Januarii jurejurando affirmavi, me civem utilem frugique Reipublicæ præstiturum.

Secundò, *Tribum Restionum*, quam Restiones cum Piscatoribus & Nautis communem habent emi 12. aureis: in qua jam inde ad hunc usque diem versatus sum, honorificentissime a meis tribulibus habitus. Nam præter *Choragiam* & *adilitatem*, cæterosque hujusmodi honores tribunitios, etiam me communi totius tribus suffragio, *Questura* (*Wstäger Amt*) (qui honor post *Tribunatum* summus est) decorarunt, quod nec ante me, nec post me, ulli contigit, qui non fuerit Senatorii ordinis, quam 12. annis obivi, & ultro abdicavi, atque meo suffragio & institutione effeci, ut *Rudolff Lochman* compater meus mihi succederet. Præterea *Scriba* & *Lector* in *Comitiis Tribunitiis* diu fui, donec ego mea autoritate in locum meum *D. Compatrem Joannem Wolphium* surrogarem.

Tertio Instrumenta ad Artificium Restionarium pertinentia emi à *Joanne Lochman* Restione 15. aureis, 8. die Februarii.

Quarto die 23. Februarii, proposui publice restes venales bonis avibus, in taberna sub ædibus *zum Schnabel* dictis, in portu navali.

Quinto curam domesticam administrare institui 12. die Martii, in ædibus ad *Lilia* nuncupatis, zur *Bilgen in der Nümstatt*; ex quibus postmodum 8. die Octob. commigravi ad ædes in portu navali sitas, (jetz dem *Thurnhüter* zugeeignet) quæ mihi & *Amiano* addictæ erant communes, propter professionem nostram. Ad eas, inquam, ædes commigravi cum

cum uxore lethaliter ægotante, & cum omni sup-
pellectile intra spatium lesquihoræ: nempe

Tota domus Codri rheda componitur una.

Copy eines Brieffs / so ein Mann recht sin sollte.

Ich Hans im Holz der Zyt geschworne
Richter und Weibel zu **Kotenburg** / bekenn offent-
lich mit diesem Brieff / daß auf Siner Date / als ich
daselbst öffentlich zu Gericht saß / an Statt und im
Namen des Frommen Fürnemmen und Wysen Her-
ren **Hans Hasen** / des Rhadts zu Lucern / und der
Zyt Vogt zu **Kotenburg** / minens lieben Herzen /
for mir in Gericht erschinen ist / der Ersam **Bart-
lime zum Büel** / hie zu **Kotenburg** wonende /
vnd ließ durch sin erlaupften Fürsprechen in Recht
offnen. Nach dem und dann Sin Bruder **Rudolff
zum Büel** / jekmal zu **Zürich** wonende / vergan-
gens Zyt hie hinnen gescheiden sigte Syner Geschäft-
ten und Fürnemmens halb / und aber villicht / dem-
selben sinem Bruder **Rudolffen** / etwas Fürzugs
geschehen / vff die Meinung / daß er von hinnen von
Kotenburg mit Vneeren und mit keinem Glimpff
nach Zug gescheiden sin sölle / das sich doch nimmer-
mehr erfinden mög; Begärt er vff vns an als ge-
schwornen Richter vnd Brtelsprächer / mit sampt
anderen vill frommer Amptsleuten von **Koten-
burg** / daß Wir im Kundtschafft der Warheit durch
der Gerechtigkeit willen mittheilen und gaben wöl-
tend.

tend. Vnd so man Kundtschafft der Warheit niemandt zuversagen / sunder das Recht zufürderen sich gebürt / So haben Wir verhört / gmeinlich fill Frum-
mer Erlicher Amptsleuth / und wir geschwornen
Weibel / Richter und Fürsprecher / des all gut Wü-
ssen tragen / daß obgenanter **Rudolff zum Büll** /
hie hinnen von **Kotenburg** / Frumklich und Erlich
gescheiden ist / und mit keinen Uneeren / Argem nach
Unglimpff jenen verlündet / und Er und sin Bruder
Barthimee / und all ir Fründtschafft von je Wäl-
ten har by uns für frum / biderb Leuth geschezt und
geachtet : Diser Kundtschafft und Urtheil / so mit
gschwornen Eiden bestätet / begärt **Barthimee**
zum Büll eines Brkundes / das im mit Rächt ze-
gäben erkent ward / under des obgemelten minens
Herzen Bogts von **Kotenburg** vffgedrucktem In-
sigel / Jme und sinen Erben ohne Schaden / vff Mit-
wuchen vor des heiligen Creukes Tag zu Herpst /
nach der Geburt Christi gezelt Fünffsehen Hundert
Zwenzig und Fünf Jahr / und warend hieby Ge-
zügen / **Vli Sigerist** / **Hans Graser** / **Heini**
Hiltbrand / und **Kutschman zum Büll** / alle
der Zyt des Grichts zu **Kotenburg** geschwornen
Für sprechen / und ander genug / 2c.

Erklärung des Brieffs und Handels.

Als ich von minen Gnädigen Herren von **Zü-
rich** das Burgrecht zekauften willen was / schreib ich
minem Bruder **Barthimee** / Er solte mir vor dem
Gricht zu **Kotenburg** min **Wannrecht** erwer-
ben und zuschicken / da verstund er min Meinung nit
recht / vermeint ich werde zu **Zürich** an minen Eeren
geschul-

geschulten/und erlanget von ein Bricht zu **Kotensburg** disen vorgeschribnen Brieff/welicher anfangt:
Ich Hans im Holz / 2c. Als ich nun um das
 Burgrecht bat / leit ich disen Brieff for minen Gnädigen Herren/an Statt eines **Wannrechts**/welchen Sie (mine Gnädigen Herren) für gut vffnammend/als wäre er ein recht geförm **Wannrecht**/liessend mir durch Herzen Vnderschreiber **Junker Burkhart Wirzen** sägen / Si (mine Gnädigen Herren) werind wol zufriden/und wöltend mir das Burgrecht gern gäben han / wann ich schon kein Brieff ingleit hätte. Also gab ich **Zehen Gulden** Herzen **Seckelmeister** / **M. Jacob Werdmüller** / und schreib mich Herz Vnderschreiber in das Burgerbuch mit Nammen **Rudolff zum Büel** / laß mir den Burger-Eid vor / (wiewol ich jekunder genempt wird **Collinus** , oder **Rudolff am Büel** /) gab mir ein Brieffli an mine Meister zu den **Schiffleuthen** / welche mir ir Zunfft zekauffen gabendt / wie vorgemelt / 2c.

VI. DEINDE PROFESSOR ERAM.

Professor Græcæ Linguæ ordinarie constitutus sum, à D. Scolarchis, tam Senatoriis quam Ecclesiasticis, & deinceps à Senatu Tigurino confirmatus, D. Zuinglio & Amiano causam interea communi studio agentibus, me plane incio nec tale quicquam cogitante, nedum ambiente, sed inter restes & stipulas, & pulverem canabinum versante. Quare vix certum tempus assignare possum: id tamen ex

annalibus Collegii, & Reformationis Historia certò cognosci poterit. *

Cum Stipendium pertenuè esset, literas & re-
stes simul tractare cogebat toto triennio. Atque
Restionatus (das *Seilertwerk* / ut novum fingam in
mea arte vocabulum) pulchre mihi procedebat.
Tres enim habebam *tabernas*; *Tiguri* unam, meam
sc. Alteram *Wesenii*, quam *Jos Hartman* ibidem Re-
stio; Tertiam *Walenstadii*, quam *Hansß Wildhaber*
ibidem Pistor, meo nomine procurabat. Postea
aucto stipendio, restibus valere iussis, literis incu-
bui solis, & Proviñtiæ, (ut spero) meæ satisfeci
κατὰ τῆς δύνάμιν.

Anno 1526. die 8. Augusti incepti *Homerum* in-
terpretari lectione ordinaria. Quos deinceps Au-
thores, quove singulos tempore interpretatus sim,
enumerare nequeo: nec enim numero comprehendere refert. **

VII.

*Nunc quoque in extremis qualis mecumque manet Sors.
Sors hæc in manibus stat Deus alme tuis.*

In Psalmo 30. scriptum est:

*Ἐν ταῖς χεραῖ σου
οἱ κληροὶ μου.*

Quæ sententia multis annis mea fuit tessera:
eam ego jam olim ita reddidi: Me

* Factum id est 1526.

** *Ludovicus Lavaerius Collini* (Ὁ γ γρον) de eo in libello suo
de *Ritibus Ecclesie Tigurinae* ita: *Rodolphus Collinus* varios Græ-
cos Authores, qui Prosa & Carmine scripserunt, suis auditori-
bus explanat. Et hæcenus optimos quosque qui extant, pu-
blicè interpretatus est. Ed. Lavat. de A. 1559. p. 19. Edit.
Ott. de A. 1702. p. 76. 77.

Me tibi commendo, tu curam suscipe pro me.
In manibus mea fors est, Deus alme, tuis.
Amen.

1576. Kalendis Januariis.

Rodolphus Collinus Pater
posteris suis.

Ibo ego dormitum nostris cum patribus. Ibo.

In Domino *JHESU* stat mea sola quies.

Ibo ego: Vos chari Pueri, charique Nepotes,

Este boni: | Vobis: | Civibus: | & Patriæ. |
| *Invicem* | *Tigurinis* | *Helvetiæ.* |

Rodolphus Collinus Filius
iisdem.

Discite virtutem, Collini discite Nati,

Exhibuit vobis, quam pius ille pater;

Discite virtutem chari, gratique nepotes,

Demonstravit avus quam pietatis amans.

Per varios casus, nec non per mille labores,

Pervenit Tigurum: *CHRISTI* ubi miles erat.

Justus erat, verecundus erat, bene sobrius atque

Exemplum veræ sedulitatis erat.

Excoluit Juvenes studiis & moribus, atque

Instituit natos in pietate suos.

Civibus hinc gratus, natis monumenta reliquit,

Quæ nunquam natis sunt peritura suis.

Hæc servate diu, & vestigia pulchra parentis,

Præcipuus vobis sit retinere labor.